



Q. D. B. VI

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE

393

12

JURE CIRCA HÆRETICOS,

1699, 8

Quam

DEO feliciter annuente,

EX AUTORITATE

MAGNIFICI ELECTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRIS HAC ACADEMIA VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO

JCTO SUMMO,

CONSIL. ELECT. BRANDENB. FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO, & PROFESSORE PRIMARIO, nec non SERENISS.

ac POTENTISS. ELECT. BRANDENB. ab AULÆ

ELECT. CONSILIIS,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEMIA
HEIDELBERG. DECRETAL. PANDECT. & JURIS GENT.

PROFESS. PUBL. ORDIN.

Domino Mecenate & Promotore suo aternum venerando,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ac PRIVILEGIA

Rite obtinendi

Publicæ disquisitioni submittit & fistit

CAROLUS d' ORVILLE,

CASSELLANO - HASSUS.

AdD. XXIV. Jun. An. MDC IC.

Francofurti ad Viadrum, Typis CHRISTOPHORI ZEITLERN

1072

DEO,
MECÆNATIBUS,
PATRONIS,
accùm Affinitatis, tùm Amicitiaë jure
sibi junctis, atq; ad ultima vitæ
suspiria **COLENDIS,**

Hanc Disputationem Inauguralem
pro innumeris hæctenus præstitis
beneficiis in debitaë devotionis
tesferam eâ, quâ par est,
reverentiâ

Consecrat, Dedicat ac offert

RESPONDENS

CAROLUS d' ORVILLE,
Casell. Hasfus.



SUMMARIA.

1. Introitus.
2. Heresis propriè significat opinionem ex pluribus electã.
3. Sententia l. 6. §. 2. de Exc. tut.
4. Variæ inter Christianos ante Constantinum M. opiniones hereses dictæ.
5. A Constantino ex toto orbe Christiano convocatis Ecclesie Patribus decretum Niceæ fuit quæ nã opinio pro doctrina totius ecclesie Catholice habenda esset: eaq; tribus sequentibus Conciliis œcumenicis declarata & firmata fuit.
6. Hec 4. Concilia absolutè sunt universalis & œcumenica. Quinta quat. œcumenica dici possit.
7. Sexta an absolutè sit œcumenica. Septima alia est Grecorum, alia Latinorum; hæc priori contraria.
8. Quatuor priora Concilia œcumenica jure, post sacras literas, sunt unica regula & norma Ecclesie Catholice.
9. 10. Demonstratur hoc porrò.
11. Verbum Dei est unica norma authentica fidei; Concilia sunt norma civilis Ecclesie visibilis.
12. Ab hac regula universalis ecclesie qui recedunt, illi soli Hæretici sunt & dicuntur.
13. Non illi qui ab alia particulari ecclesia dissentiunt.
14. Fraus eorum, qui in definitione Hæretici pro verbo Catholice, substituunt Romanæ.
15. Qui præter formulam 4. conciliorum aliam fingunt, & ex eâ Hæreticos faciunt, anathema sunt ex l. 7. §. 4. in fin. C. de Summ. Trin.
16. Canones abominantur Episcopum Universalem.
17. Et si Episcopus Ecclesie Romanæ esset Universalis, non tamen ex ejus sed solâ totius Ecclesie formula

- mula fierent Heretici.
18. Canones testantur Antiochenā sedem fuisse primariam, & primatum Domino iubente, inde Romam translatum. Hoc an probetur ex dicto: Tu es Petrus &c.
19. Pugnāt, Evangelicos, qui formulam IV. Conciliorum recipiunt, nec quintum & sextum rejiciunt, esse Hereticos.
20. An Heresis sit crimen? Disting. 1. inter heresin seu opinionem, & delictum ei coherens.
21. Distinguitur 2. inter hereses de fide, & facta legibus prohibita.
22. Heresis potest esse absq; dolo, & ita absq; crimine.
23. An & absq; culpa esse possit.
24. In heresi omnis ratio criminis est à delictis coherentibus.
25. Hinc pœna variant. Quid in omnes statui possit, etsi delictum non concurrat.
26. Alia capita hisce communia.
27. Pœna in Hereticos statuta quibus delicta annexa sunt.
28. Alia pœna in hos jure communi statuta.
29. Pro modo delicti concurrentis capite quoq; puniri possunt.
30. Manichæorum heresis est crimen publicum; Quid de cæteris?
31. Hereseos crimen quando famosum?
32. Pœna Hereseos ex jure communi.
33. Quando & quantopere ea fure Canonum aucta? An sepultura Hereticis deneganda?
34. Pœna ignis quando cœperit, & quo jure?
35. 36. Alia pœna Juris Canonici.
37. Damnatio post mortem.
38. Cujus sit de heresi cognoscere & statuere.
39. Cùm membra particularis Ecclesie dissentiant, parti in partem non competere jus damnandi.
40. 41. Absurda, quæ inde sequuntur.
42. De infami convitiatore è Moravia.
43. De optanda restitutione antiquæ formulæ Catholicæ.

DISPLI-



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De
JURE CIRCA HÆRETICOS.

§. 1.



Non equidem nunc propo-
situm nobis est, ut materiam
tantæ amplitudinis tantique
momenti hoc disputationis in-
auguralis exercitio pertra-
ctandam suscipiamus, quæ in-
gens volumen, si ad umbili-
cum ducenda esset, impleret;
sed quædam tantum, quæ fa-
cem præferre reliquis pote-

runt, quâ juris disciplinam spectant, breviter pro in-
stituti & temporis ratione ex materia de Jure circa
Hæreticos vel hæreses, delibabimus.

§. 2. Hæresis autem nihil est aliud quàm opinio
quædam, quâ quis ab altera opinione dissentit: estque
ipsa vox *ἀρεσις*, quæ *electionem* significat, & accipitur pro
ipsa opinione ex pluribus *electa*. c. 27. *caus.* 24. q. 3. Sic variæ il-
læ veterum Philosophorum sententiæ, hæreses Philoso-
phorum dictæ sunt. Cicero, cum Catonem perfectum
Stoicum esse dixisset, ita de eodem pergit: *Cato in ea est*
hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neq; dilatat ar-
gumentum, sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis,
A 2 quod



quod proposuit, efficit. Cicer. Paradox. in praef. vers. Cato autem. Hanc igitur Catonis & Stoicorum opinionem haeresin dicit, uti & Epicureorum opinionem, quam Cassius receperat, haeresin vocat, & Stoicæ haeresi, à qua ille haud pridem disceserat, opponit. lib. 15. ad famil. Epist. 16. Hinc adludens Cicero ait, se ex formula interdicti de Vi postulaturum; ex qua haeresi (Stoicâ) vi, hominibus armatis dejectus sis (Cassio scribit) in eam restituere. Deinde addit, in ista ipsa ἀπέσει (Epicurea) metuo, ne plus nervorum sit quam ego putarim, si modò eam tu probas. Quin, cum Cicero apud Vestorium quendam, hominem à Philosophicis studiis remotum, sed, ut videtur, fœnerandis pecuniis vacantem, accubisset, Atticus, cui Cicero scripserat Vestorium Arithmeticæ deditum esse, ansam inde cepit jocandi de Vestoriana haeresi, quasi de nova secta & schola. Cic. ad Attic. lib. 14. Epist. 17. in fin. junct. Epist. 16. ut adeò constet, haereses illas nihil fuisse, nisi diversas Philosophorum sententias, sectas, vel scholas.

§. 3. Eadem vox occurrit in l. 6. §. 3. ff. de Excus. tut. ubi proponuntur Rhetores, Medici, & similes, qui excusantur à tutela, & additur, quòd haereses quaedam lege propositæ sint: ubi quidem per haereses Accursius intelligit divisiones, Gothofredus conditiones; at Wisfenbachius Sectas Philosophorum, quibus permisum fuit in Urbibus docere: Wisfenbach. part. 1. disput. 52. §. 9. de eorum enim immunitate à tutela agitur, & requiritur, ut sint ἀπέσεις ἀνεγκριμέναι τῷ νόμῳ, haereses lege propositæ (ut ibi ad verbum vertitur) vel comprobatae.

§. 4. Hoc eodem sensu quoque, cum ante Constantinum variæ existerent inter veteres Christianos opinio-

opiniones quibus inter se dissidebant, hæreses illæ Christianorum dictæ fuere; nec quænam tum esset universalis Ecclesiæ sententia, cum sub persecutionibus conventus publicè agere non liceret, cognosci potuit: prout id Jure Canon. traditur in *c. 1. pr. Dist. 45.* ubi, cum dictum esset, ante Constantinum fervente persecutione non fuisse licitum Christianis conventus cogere, deinde additur; *Inde Christianitas in diversas HÆRESES scissa est, quia non erat licentia Episcopis in unum conveniendi, nisi tempore supra dicti Imperatoris.*

§. 5. Ut igitur appareret, quæ esset communis universæ & Catholicæ Ecclesiæ sententia, & ab ea reliquæ hæreses & opiniones segregarenter, evocavit Constant. M. totius Ecclesiæ Christianæ Episcopos, & Oecumenicâ Synodo Nicænâ imprimis doctrinam de Christi divinitate, ceu fidei nostræ fontem stabilivit. Cujusmodi deinde Consilia universalialia & œcumenica, vocatis universæ & Catholicæ Ecclesiæ Christianæ Episcopis, deinde etiam à duobus Theodosiis, & denique à Marciano Imperatore coacta, & universum illud de SS. Trinitate dogma, ceu unicum totius Christianæ fidei fundamentum & sacra anchora, constitutum fuit, hodieque DEI providentiâ, quicquid immanium fluctuum in hanc rupem illisum fuerit, immotum persistit. Atque hæc quatuor concilia Oecumenica ab Imperatoribus coacta & habita fuisse, ad unum omnes unanimiter testantur eorum temporum Annales, neque ullum illius ætatis vestigium apparet, Pontificum auctoritatem concurrisse, nedum Osium, Cordubensem Episcoporum, qui Nicæno præfuit, legatum Pontificis fuisse, quod utrumq; BARONIUS fingit.

A 3

§. 6. Sy-

§. 6. Synodus quinta à Justiniano , & sexta à Constantino Pogonato congregatæ, etiam vulgò Oecumenicæ dicuntur: *c. 5. 6. & 7. dist. 15.* neq; nos earum authoritati quicquam detractum volumus. Veruntamen id omnino constare credimus, non esse eas pari cum prioribus authoritate, nec ita, ut superiores, verè universales: eo enim tempore jam divisus fuit orbis Christianus in plura regna, & quidem post Marcianum & Valentianum III. authores Concilii quarti, (*vid. l. 8. princ. C. de Hæret.*) tota Italia avulsa fuit ab Imperio, & inde ab Avito usque ad Augustulum proprios Reges habuit: deinde Gothi regnū Italiæ tenuère, idque agnoverunt ipsi Imperatores Græci. *vid. Onuphr. de Concil. Imper. c. 4. §. 4.* & aliàs quoq; ecclesiæ valde jam laceratæ & segregatæ fuere. Sed nec Pontifex Vigilus, nec Episcopi Ecclesiæ Occidentalis interesse Synodo voluerunt, & subscribere quoque detrectârunt; adeò ut Justinianus Vigilium Papam ideo in exilium miserit, eoq; tandem ut assentiret perpulerit. Non ergò per modū Synodi universalis res acta & decisa fuit; reliquis quoq; Occidentis & Africæ Episcopis Concilium hoc non tam de fide, quàm in personas demortuas coactum, & præjudicium Chalcedonensi Concilio factum fuisse causantibus. *vid. Petav. in Rationar. tempor part. 1. lib. 7. c. 7.* Quin nec Canones, nisi ex post facto, ejus & sexti Concilii facti sunt. *c. 7. dist. 17.* Sed & ipse Justinianus quatuor tantum Concilia pro norma fidei statuit & recipit *in Epist. ad Joh. Papam. l. Reddentes. 9. §. 3. C. de Summ. Trinit.* sub cujus tamen antecessore, Vigilio Papa, Concilium quintum jam editū erat. Idem in *l. 7. §. 4. vers. hanc alia. C. eod.* ait: *Hanc (scil. formulam utriusque concilii prioris) alia quoque omnia*

De Jure circa Hæreticos.

397.

omnia sancta Concilia, hoc est, Ephesinum prius & Chalcedonense susceperunt. Ergo statuit, non esse alia concilia quæ sint formula fidei, quam hæc quatuor; quia ait, omnia concilia, quæ formula sint, esse quatuor: uti & in c. 1. & 3. dist. 15. reliqua non admittuntur, nisi post illorum quatuor auctoritatem.

§. 7. Sextæ autem Synodo neque Africanæ neque Hierosolymitanæ Ecclesiæ interfuere, quæ tum non habuere amplius Patriarcham sui juris, sed Saracenorum potestati subiectum. Septima verò Synodus duplex fuit, altera Græcorum, & antiquior; altera Latinorum, quæ priori contraria, & anti-Synodus est, ac deinde Synodo Parisianâ iterum improbata fuit. vid. Doctisf. Spanhem. in Epist. Isag. ad histor. Eccles. Secul. 8. cap. 9. & Sec. 9. cap. 10. §. 2.

§. 8. Igitur de solis prædictis quatuor Conciliis verè dici potest, ea à Catholica seu universali Ecclesia habita, decreta, ac recepta esse, eoque sola (de sacris literis nunc non quæritur) certam Ecclesiæ & fidei Catholicæ seu universalis, ratione jurium ejus, normam esse, ac in toto jure ita haberi. Hoc patet ex l. 7. §. 4. & §. 5. l. Reddentes. 9. §. 3. C. de Summ. Trinit. Nov. 115. c. 3. §. 14. ubi Justinianus orthodoxæ & Catholicæ fidei regulam sola hæc quatuor Concilia esse statuit, nec suum, quod quintum est, addit. Sed & Jur. Can. his quatuor Conciliis tribuitur auctoritas & norma fidei Catholicæ. c. 1. dist. 15. ibi: *Inter cætera Concilia quatuor esse scimus venerabiles Synodos, NB. quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina.* Et in c. 2. pr. dist. 15. ait B. Gregorius: *Sicut Sancti Evangelii quatuor, libros sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor &c.* quæ verba regulam

6 *Disputatio Juridica Inauguralis*
gulam & normam significant, inprimis ob compara-
tionem cum quatuor Evangeliiis. Unde & alibi ad-
ditur, reliqua Concilia post horum quatuor autori-
tatem demum recipienda esse, ut in c. 1. dist. 15. ibi: *sed*
si qua sunt alia concilia, NB. post istorum quatuor authori-
tatem omni manent stabilita vigore, & in c. 3. dist. 15. ibi:
Sed & si qua sunt concilia à Sanctis Patribus hætenus in-
stituta, post istorum quatuor authoritatem & custodienda
& recipienda decernimus & mandamus.

§. 9. Quin & disertissime regula & norma Ec-
clesiæ Catholicæ statuuntur hæc quatuor concilia in
d. l. 7. §. 4. pr. C. de Summ. Trinit. ubi Justinianus ait:
Per omnia sequentes sancta quatuor concilia, & que ab uno-
quoque eorum constituta sunt, manifestè omnibus, qui nobis-
cum sunt, fidelibus sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ
traditam NB. regulam fidei, h. e. sanctam formulam seu Sym-
bolum tenemus & custodimus. Quin additur expressè,
quòd solum Nicænum sufficiat ad regulam, nec reli-
quæ tria concilia ideo addita fuerint, quasi illud imper-
fectum esset; sed tantum ad Nicæni declarationem,
quam veritatis inimici invertere volebant. d. §. 4. *vers.*
non quasi imperfectum. Adeo ut Anathema esse iusti-
fint illi, qui aliam regulam Catholicæ Ecclesiæ & fidei
tradunt quam formulam concilii Nicæni & reliquorum
trium, quæ illud declarârunt. d. §. 4. *in verb. Similiter a-*
nathematizarunt & eos, qui aliud Symbolum vel sanctam
formulam tradunt, præter eam, quam iis. sancti Patres (in
Synodo Nicæna) exposuerunt, & 150. sancti Patres, qui in
hac Regia Civitate, (in Constantinopolitana Synodo) decla-
rârunt & illustrârunt, (scil. præter duo concilia reliqua,
quæ jam antè addidit, & mox quoque subjicit.) Quem-
admodum igitur hæc quatuor Concilia jure constituta
sunt

De Jure circa Hæreticos.

7
 sunt norma Ecclesiæ & fidei Catholicæ, adeoq; Ecclesiæ
 Catholicæ omnes illi sunt, qui hæc quatuor Concilia
 Catholica & Oecumenica recipiunt atque custodiunt;
 ita Hæreticus in toto jure ille unice dicitur, qui in a-
 liquo articulo ab Ecclesia Catholica seu ab his quatu-
 or Conciliis recedit; nec ullibi in jure aliter hæc vox
 hæretici accipitur. Hoc constat ex l. 2. §. 1. C. de Hære-
 tic. ubi ita definitur: *Hæreticorum vocabulo continentur,*
qui vel levi argumento à judicio NB. Catholicæ religionis &
tramite detecti fuerint deviare. Catholicæ autem religionis
 tramitem unicum (civilem scil. & post verbum Dei, *vid.*
 §. seq.) esse prædicta IV. Concilia jam demonstratum
 est *supra* §. 8. & 9. Pariter, cum Hæresis inter justas cau-
 sas exheredationis recenseatur in *Nov. 115. cap. 3. §. 14.*
 & hæreticus filius exheredari possit, *d. l.* is dicitur
 filius hæreticus *in d. §. 14.* qui non amplectitur sanctas
 4. synodos; & ideò perhibetur non esse Catholicæ fidei,
 nec in SSta Ecclesia cõmunicare. *d. §. 14.* Eâdem ratione
 Hæreticus describitur, qui non est catholicæ fidei:
d. Nov. 115. cap. 4. §. 8. & ab Impp. Gratiano, Valenti-
 niano & Theodosio, *Nicæna fidei assertor* dicitur *Catho-*
licæ Religionis verus cultor: l. 2. §. 1. C. de Summ. Trin. & ta-
 les jubentur *Catholicorum Christianorum nomen amplecti;*
 reliqui autem demum *hæretici dogmatis infamiam susti-*
nere. l. 1. §. 1. C. eod. Consentiant Canones *in c. 30. XXIV.*
quest. 3.

§. II. Neque cum his pugnat, quod Orthodoxi
 meritò contendunt, non esse aliam fidei normam,
 quam sacrosanctum Dei verbum: Etenim non hic
 quærimus de authentica fidei norma, ejusque verò
 fonte & supremo controversiarum judice, qualis
 norma ac fons unice omninò est æternum illud ver-
 bi

B

bi

bi Divini Oraculum, sed de regula civili fidei & cultus Divini. Nimirum, cum de absconditis illis summæ Trinitatis & incarnationis mysteriis, adeoque de ipso fidei Christianæ fundamento, plures hæreses seu opiniones essent, & quælibet ex verbo DEI se pugnare, eoque nixam se testaretur, videndum fuit, quænam esset sententia universalis Ecclesiæ, ut inde formula fieret, quam secuti pro membris Ecclesiæ Catholicæ Christianæ haberentur, atq; ad ejus Ecclesiæ exercitia cultus, jura & beneficia admitterentur, reliqui autem ab hoc cœtu excluderentur. Potuitq; eò securius hæc totius Ecclesiæ sententia pro regula hætenus accipi, quod tali suæ Ecclesiæ Servator Spiritum veritatis promiserit, nec adeò concessurus sit, si pio zelo & veritatis studio congregetur, ut à vero aberret.

§. 12. Hoc sensu ergò hæreseos vox in malam partem accipitur, cum quis à judicio totius Ecclesiæ Catholicæ, seu ab his quatuor Conciliis Catholicis dissentit: quo sensu quoque sumitur ἀρετικὸς ἄνθρωπος *ad Tit. 3. vers. 10. add. 2. Petr. 2. vers. 1.* neutiquam autem cum quis ab Ecclesia aliqua particulari, nedum cum duæ particulares Ecclesiæ ab invicem dissentiant: uti, cum Græca Ecclesia & Latina ritibus ordinationum ab invicem discedunt, id pro hæresi nullo modo habetur in *c. 11. X. de Tempor. ord.* adeò ut Græci Cantoris filius ex legitima uxore natus in Ecclesia Romana ordinari possit, etsi talia matrimonia in ea improbantur. *c. 6. X. de Cleric. Conjug.* Quin tantopere ab invicem dissentiunt, ut Græci Latinorum aras pro impuris habeant, nec supra iis, nisi purgatis & denuo consecratis, sacra faciant.

§. 13. Talis est dissensus ille inter Romanam & Evangelicorum Ecclesias: cum Evangelici, & magis etiam

etiam quàm Græci, omnia capita quatuor Concilio-
rum tanquam normam Ecclesiæ Catholicæ inviola-
biliter recipiant, adeoq; planè sincera Ecclesiæ Catho-
licæ membra sint. *per §. 8. & seqq supra.*

§. 14. Et utrique adeò juri manifestè fraudem
faciunt, qui, cum hæreticus utroque jure, etiam Ca-
nonico, definiatur ille, qui ab Ecclesia Catholica dis-
sentit. *supr. §. 10. & c. 30. caus. 24. quest. 1. in ea definitione*
pro verbo *Catholica* substituunt *Romana*, cum tamen
aliud sit Ecclesia Catholica & universalis, aliud Roma-
na; quam prorsus esse constat Ecclesiam particularem,
à Græca, Alexandrina, Antiochena &c. perpetuò di-
stinctam. *c. 1. §. Ordo. dist. 21. c. 2. c. 6. c. fin. dist. 22. c. 8.*
X de Majorit. & obed.

§. 15. Hi ergò, qui Romanæ Ecclesiæ opiniones
pro regula Ecclesiæ Catholicæ obtrudunt, manifestè
anathemati illi obnoxii sunt, quo illi, qui aliam, præter
Nicæni & reliquorum trium Conciliorum formulam
fingunt, expressè anathematizantur in *l. 7. §. 4. in fin. C.*
de Summ. Trinit. vid. supr. §. 9. Constat enim Ecclesiam
Romanam plurima sentire ultra formulam quatuor
Conciliorum; neque de iis, quæ hodie inter Romanos
& Evangelicos disceptantur, agi in horum Concilio-
rum Canonibus; uti de summa potestate Pontificis in
ipso etiam Reges, de hodierna Missa, Sacramentis,
indulgentiis &c. & proinde hæc formula Ecclesiæ
Romanæ, cum alia sit à formula 4. Conciliorum, non
potest non dicto anathemati obnoxia esse.

§. 16. Unde patet, nullò sensu, nec absq; con-
tradictione, Romanæ Ecclesiæ Episcopum Universa-
lem videri posse; quod & Canones abominantur in
c. 4. Dist. 29. ubi Pelagius II, Papa inquit: *Nullus Patri-*
B 2 archarum

archarum Universalitatis vocabulo unquam utatur: quia si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed NB. absit hoc! absit à fidelis cujusquam mente &c. Idem in c. 5. d. Dist. 99. Gregorius Magnus Papa ad Alexandria Patriarcham sic improbat: Ecce in Prefatione epistola, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superba appellacionis verbum, Universalem me Papam dicentes, imprimere curastis; quod peto dulcissima mihi Sanctitas vestra ultrà non faciat; quia vobis subtrahitur quod alteri plus NB. quàm ratio exigit, prabetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Et mox: Si Universalem me Papam Vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur, universum. Sed NB. absit hoc! Recedant verba, qua vanitatem inflant & charitatem vulnerant.

§. 17. Etiam si verò esset Universalis Episcopus, nihil tamen id huc faceret: tum quia de iudicio totius ecclesiæ Catholicæ, non Episcopi, quæritur, cum hæreticus sit, qui ab Ecclesia Catholica, non qui ab Episcopo dissentit, ut ostensum sup. §. 10. tum quia universalem legem & formulam dare, ex qua iudicandum, quis in cœtum seu gregem, & ad ejus ritus, beneficia & jura admittendus, quis verò inde summovendus sit, vel totius gregis est, vel ejus qui in grege summum imperium habet: alterum per modum pacti & consensus valebit, alterum per modum legis. Episcopalis autem autoritas non consistit nisi in docendo: uti plenius demonstravit Dn. Præs. in Jurispr. publ. cap. 18. §. 1. & seqq. Certè, cum regula ac formula Catholicæ ecclesiæ semel totius gregis consensu, & ut dicitur in c. 1. Dist. 16. & in Nov. 109. in pref. ecclesiarum Patrib9 ex omni terrarū orbe convenientib9, constituta sit, non potest illa nisi totius quoq; gregis consensu iterum mutari aut tolli.

§. 18. Quin Romanam Ecclesiam ne primariam quidem ecclesiarum fuisse concedunt & fatentur ipsi Pontifices & Canones, qui aperte testantur, Antiochenam fuisse omnium primariam, & primatum hunc, jubente Deo, Romam deinde translatum fuisse. Ita enim Marcellus Papa in c. 15. caus. 24. qu. 1. ad Antiochenos scribit: *Ipse (Petrus) caput est totius Ecclesie, cui ait Dominus, Tu es Petrus. &c. Ejus sedes NB. primitus apud vos fuit, que postea NB. jubente Domino, Romam translata est. Et mox in fin. Si verò vestra Antiochena NB. que olim prima erat, Romane cessit sedi, nulla est que ejus non sit subiecta Dominationi. Idem traditur in c. 2. dist. 22. ibi: Tertia fides apud Antiochiam B. Petri Apostoli nomine habetur honorabilis: quia illic NB. priusquam Romam veniret, habitavit &c. Cum itaq; in confesso sit, Primatum Ecclesiarum Antiochenæ Ecclesiæ debitum, & jussu Dei, ut dicitur, Romam translatum fuisse, jussus ille Dei aliter, quam dicto isto Salvatoris, Tu es Petrus &c. probandus erat: nam Petrus æquè Antiochenam, & eam quidem primam, fundavit; & in dicto illo tantum de fundatione sedis, non de fundationis translatione in aliã sedē mentio fit. Nec sequitur, una, etsi prima cessit. Ergo & reliquæ cessere. Et o! miseram Ecclesiæ conditionem cujus petra Petrus, homo peccator, aut alius quisquã est quam omnis peccati purus, & morti meritæ propriã virtute vincendæ par, id est $\Theta\sigma\delta\upsilon\theta\rho\omega\pi\omega$. Sed id huc non pertinet.*

§. 19. Cum igitur satis demonstratum sit, Hæreticos non esse, nisi qui à formula totius Ecclesiæ Catholicæ & universalis, ex toto orbe collectæ, quæ absq; controversia prædictis 4. Conciliis Catholicis comprehenditur, disfentiunt, Evangelici autem omnes

mnes hæc quatuor sanctissima Concilia eorumq; formulam omni veneratione suscipiant, quin quintam quoque & sextam Synodum (de septimâ *vid. supr. §. 7.*) etsi quis illas quoque pro universalibus haberi velit, non rejiciant, non possunt illi à Romanæ Ecclesiæ asseclis citra anathematis prædicti periculum pro Hæreticis haberi.

§. 20. His ita præmunitis, sequitur ut compendio videamus, quid jure circa tales hæreticos, ab Ecclesia Catholicâ dissentientes, constitutum sit; ubi potissimum quæritur, An hæresis hujusmodi sit verum delictum seu crimen, an mera culpa, an ne hoc quidem? Qua in re primum distinguendum est inter ipsam hæresin seu opinionem, & inter delicta vel crimina illa, quæ hæresi conjuncta vel implexa sunt vel esse solent: uti non tantum si cohæreant studia seditionum, factionum &c. sed & si qualiscunque alia malitia vel contumacia vel injusta cupido vel pervicacia concurrat; uti *in c. 28. c. 30. caus. 24. q. 3.*

§. 21. Deinde differentia facienda inter hæresin seu opinionem de fide, & inter facinora, quæ legibus prohibita sunt & à fanaticis hominibus defenduntur: uti fuit ille Anabaptistarum furor, qui circa annum 1535. Monasterii polygamiam instituerunt, privato ausu templa destruxerunt, jura Magistratus invaserunt, quin cædibus pro lubitu grassati sunt. *de quo Sleidan. de Stat. Relig. lib. 10.* Hæc verò non sunt hæreses & disputationes de fide, sed flagitia & scelera jure naturali omnibusque legibus prohibita, quæ proinde non rationibus convincenda, sed legibus & suppliciis vindicanda sunt.

§. 22. Hæresis igitur in se spectata, quatenus in solo

solo opinionis circa fidem & ejus fundamentum errore ac falsitate consistit, atq; ab omni alia malitia segregata est, constat quod pro crimine haberi nequeat. Crimen enim sine dolo malô non committitur; nec malitia esse potest, ubi nulla est proæresis vel malè agendi voluntas. l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 3. §. 2. & §. 3. l. 26. ff. de Injur. l. 5. C. eod. l. 37. ff. de Usucap. l. 2. §. 2. vers. precedente consilio. ff. de Vi bon. rapt. &c. perpetuôq; cum in jure tum apud Autores error & crimen ab invicem separantur; uti Cicero, Orat. pro Ligar. cap. 1. & pass. ac meritis finè quidem discernit: Si enim crimen est ubi nullum concurrat consilium aut proæresis, parum abest, quin in bruta quoq; crimina statui possint.

§. 23. Sed & in prædicto sensu culpa quoque abesse ab hæresi potest; nimirum, si paratus aliter edoceri, & veritatis cupidus, omnibus probè perpensis, aliud tamen animo suo persuadere non possit: unde, cum usus invaluerit ut vox Hæretici in malam partem & pro specie delicti accipiatur, eum qui ita nullo pravo consilio, sed persuasô bona fide errat, inter Hæreticos non esse recensendū dicitur, in c. 29. caus. 24. q. 3. cujus hæc verba sunt: *Qui sententiam suam, quamvis falsam atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia sua presumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, NB. nequaquam sunt inter Hereticos deputandi.*

§. 24. Itaque in hæresi omnis criminis & culpæ ratio est à delictis cum hæresi concurrentibus, malitia, pertinacia, prava libidine, vi, disciplinæ impatiencia &c. Talis species affertur in c. 28. d. caus. 24. qu. 3.

q. 3. cujus hic est contextus. *Hereticus est, qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloria, principatusq; sui gratiã falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur.* Et in c. 31. d. q. 3. dicitur: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumq; sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, heretici fiunt.* Ut adeo constet non opinionis errorem per se, sed sicubi conjuncta appareat cum perversis cupiditatibus, vel contumaciter resistendi affectu, &c. incipere esse crimen hæreseos.

§. 25. Ex quibus infertur, eandem semper & certam Hæreseos pœnam statui non posse, sed plurimum illam pro modo concurrentium criminum variare. Et hoc quidem omni Hæresi commune est, quod Hæreticus excludi possit à cœtu ecclesiæ, & si Clericus sit, ab officio ecclesiastico removeri. l. 2. §. f. l. 3. §. 2. C. de Summ. Trinit. Quod ipsum & in eum Hæreticum, qui culpa & delicto vacat, adeoq; in usu juris, prout expositum modo fuit, pro hæretico propriè non habetur, statui posse existimamus: non quidem in pœnam, quia crimine eum vacare supponimus, sed quia is est cœtus rectè & ex formula Ecclesiæ Catholice sentientium, qui in suum cœtum admittere non tenentur eum, qui inde dissentit, ideoque membrum illius se esse facto ipso negat. Quanquam, si ita ex imbecillitate id fiat, sacræ literæ id maxime commendent, ut potius tolerantur, eoque occasio fiat exemplo, vitæ & argumentis eos ad veritatem pelliciendi. Rom. 14. vers. 1. & seqq. Philipp. 2. vers. 15. idque ita in primæva Ecclesia observatum fuisse ex antiquis Patribus docet Grot. de Ver. Christ. rel. lib. 3. c. 9. n. 5. §. 25.

§. 26. Sed & illud in omnes edici potest, ne conventus fidei suæ causâ agere, aut exercitium religionis suæ extrinsecum habere ipsis integrum sit: tum ne obstinatiores usu & conventibus fiant; *l. 2. princ. C. de Sum. Trinit.* tum quia conventus omnes & collegia, quasi conventicula, metu factionum in urbe legibus prohibita sunt, & pro crimine extraordinario habentur: *t. ff. de Coll. & Corp. l. 1. §. fin. ff. de Off. Pref. urb. nisi à Principe vel Magistratu permisi conventus & comprobati fuerint, uti collegia opificum &c.*

§. 27. Reliqua verò in Hæreticos jure statuta non pertinent nisi ad eos, quibus aliud delictum commixtum est, sc. qui vel seditiosè & turbulenter se gerunt, vel aliàs mala libidine adducti, aut per contumaciam resistunt. Tales enim hæretici non fruuntur privilegiis istis, quæ intuitu religionis concessa sunt: *l. 1. C. de Hæret.* uti sunt omnia privilegia piarum causarum, v. g. ratione solennium testamenti, quæ in piis causis non attenduntur: *c. 4. X. de Testam. Falcidiæ, quæ legatis ad pias causas non detrahitur: Nov. 131. c. 12. donationum, quæ non semper indigent insinuatione, etsi 500. solidos excedant. l. 36. §. 1. & seqq. C. de Donat. &c.* Quæ omnia cesant in his Hæreticis *d. l. 1.* Quæ ratione etiam privilegia dotium & tacitæ earum hypothecæ Hæreticis illis non competunt. *Nov. 109. c. 1. Auth. Item privilegia. C. de Hæret. arg. l. 32. §. 2. ff. de Cond. indeb.*

§. 28. Sed nec testamenta facere possunt, nec ex testamento capere. *l. 4. l. 5. C. de Hæret. Auth. Creditores. C. eod.* Uti neque conventiculis eorum aliquid relinquere potest: *d. l. 5.* & domus, in quibus conventus domino connivente habent, Ecclesiæ loci cedunt. *d. l. 5.* Porro & anathema sunt seu excommunicati, nec ipsi tantum,

C

tantum, sed Jure Can. etiam eorum receptatores. *c. 13. §. Credentes. c. 15. X. de Hæret. & Sim.*

§. 29. Præter hæc, cum dictum sit hæresi varia coherere aliquando crimina, arbitrio legitimi Magistratus pro modo eorum criminum pœnæ quoque statui possunt; uti, si seditiones, rebelliones &c. moverint, ultimo supplicio & aliis pœnis etiam puniri possunt: eæ enim non nudæ hæreseos sed criminum istorum ordinariæ pœnæ sunt. Atque hinc omnino mortis quoque pœna jure infligitur cum hæresis ipsa in manifesta blasphemia in Deum aut simili aliqua atrocitate consistit, uti Manichæorum &c. qui crimen quasi læsæ Maj. divinæ committunt; in quos proinde ultimum supplicium constituitur, quin & rerum commercio iis interdicitur, & memoria post mortem quoque damnatur. *l. 4. §. 3. §. 4. l. 11. & seqq. C. de Hæret.*

§. 30. De hac Manichæorum hæresi specialiter statutum est, ut sit crimen publicum, quo omnes accusare possunt *l. 4. §. 1. C. de Hæret.* In reliquis igitur hæresis pro crimine publico non habetur, sed æstimandum id est ex naturâ cujusque delicti, quod cum ea concurrat; cum ostensum sit, hæresin, seu nudum opinionis errorem, non esse in se crimen, sed omne crimen esse ab adjuncta ei malitia, v. gr. seditione, violentia, &c. Igitur, quale crimen sit quod hæresi annexum est, publicum an extraordinarium, videndum & pro ejus modo jus dicendum est.

§. 31. Hinc, jure communi Hæresis non infamat, nisi, quod ei coheret, crimen famosum sit, uti si illud crimen publicum fuerit aut aliàs famosum; hæresi enim jure nullibi imposita est infamia. Neque obstat *l. 7. §. 1. C. de Summ. Trin.* Nam ibi tantum definitur, quinam Catholici,

& quinam Hæretici dici debeant, & uti illud honestū, ita hoc infame nomen esse statuitur. Hæc ergo tantum nominum differentia innuitur, non vero pœna infamiæ.

§. 32. Quod pœnas attinet, nisi conjuncti criminis ratio aliam pœnam requirat (uti si seditiones vel cædes ex hæresi factæ sint) jure communi in hæreticos, qui à Catholicæ Ecclesiæ formula recedunt, ob conjunctam malitiam pœna arbitraria, *l. 1. §. 1. ff. de Summ. Trin.* & communiter relegationis statuta est. *l. 8. §. Nullum. 4. C. eod.* Si quis eorum autem nomen Presbyteri aut aliud publicum recipere, vel iis imponere ausus est, pœna est exilium cum publicatione bonorum. *d. l. 8. §. Idcirco. 2.* Si dominus conventiculis eorum domum præbuerit, domus publicatur; si alia persona vilis, fustigatur, si honestior, 10. libris auri punitur. *d. l. 8. §. 3.* Si contra sacram Chalcedonensem Synodum, (quæ est 4. synodorum ultima, & reliquas confirmat) aliquid ediderit vel editum vulgaverit, perpetua deportatione; si discendi studio quis eos disputantes adierit, 10. librarum auri multâ; si quis publicè hæresin talem docuerit, ultimo supplicio afficitur, libris hæreticis igne concremandis. *d. l. 8. §. fin.*

§. 33. Atque ita jure communi & legibus primorum Christianissimorum Imperatorum tota hæc causa accuratissimè seculo 4. & 5to definita est, & omni ex parte pro natura delicti & modo circumstantiarū æqua justaque satis severitate in Hæreticos, à Catholicæ ecclesiæ regula deviantes, animadvertitur. Verùm hæc postea, seculo circiter 12mo, mirandum in modū exacerbata & pœnarum istarum atrocitas immane quantum aucta atque exasperata fuit. Quod tum

factum est, cum ortâ inter Imperium & Sacerdotium controversiâ, Ecclesia Romana potestatem secularem, & jus in ipsos Imperatores ac Reges sibi vindicaret, & jure quasi Imperii leges ferret, quæ deinde in Corpus Juris Canonici collectæ sunt. Quæ mutationes paucis exponendæ sunt. Primum enim, cum Jure Communi omnes Hæretici sepeliendi essent, adeo ut nec Manichæi quidem excepti fuerint, *l. 9. C. de Hæret.* contra Jure Canonico omnes hæretici à sepultura ecclesiastica exclusi sunt. *c. 8. x. de Hæret. c. 2. eod. in 6. c. 12. x. de Sepultur.* Id verò inhumanum nimis & impium in jure merito habetur: *d. l. 9. verb. Humanum & pium esse putantes.* satis enim demonstratum est, hæresin in se crimen non esse, sed propter ea quæ quandoque accedunt crimina; hæc autem crimina non inferunt privationem sepulturæ, nisi in perduellionem incidant. Quemadmodum & hoc nimis à ratione & humanitate alienum est, quod qui eos vel eorum receptatores sepulturæ commisit, hoc facto excommunicetur, quoad manus suis sepultum exemerit, & aliò projecerit *c. 2. princ. de Hæret. in 6to.* Quin & cæmeterium reconciliatur & quasi de novo consecratur. *c. 7. x. de Consecr. eccl.* Quæ nec in extrema barbarie audita sunt.

§. 34. Deinde pœna ignis promiscuè in quosvis hæreticos statuta est; nec tantum in eos, qui à Catholice Ecclesie & 4. Conciliorum formula, sed & qui à Romanæ ecclesie traditionibus disenserint, statuta, & sæpe, superiore quoque seculo, executioni data est. Hæc verò pœna ignis Jure Canonico non quidem expressa fuit, quia Canones pœnas capitales & sanguinis non infligebant, sed per brachium seculare eas exercebant; *c. pen. x. de Hæret. c. 1. eod. in 6.* atq; adeo tradi-

tradiderunt Hæreticos igni comburendos seculari potestati, indeq; illius pœnæ usus. Ultima verò Canonum pœna est perpetuus carcer &, ut vocant, immuratio: quâ de causâ alternativè pœnam statuunt, ut Hæreticus vel curiæ seculari sit relinquendus vel immurandus. *d. c. 1. de Heret. in 6to.*

§. 35. Porrò Jure Canonico in genere Hæretici sunt intestabiles, officiorum incapaces, & nec testes esse, nec accusare, nec agere, nec testari, nec alios defendere possunt. *c. 13. §. Credentes. X. de Heret. Eorum subditi, Vasalli, fideles, à vinculo & jurejur. c. fin. eod. & liberi à potestate eorum solvuntur. c. 2. §. fin. eod. in 6. Omnia acta, ordinationes, collationes, alienationes rescinduntur; c. 1. X. de Schismat. quin ipso jure omnes fiunt infames: t. c. 13. §. Credentes. cujusmodi constitutiones simul ac eodem tempore & iisdem ferè verbis edidère Fridericus II. *Const. de statut. & consuet. contr. lib. Eccl. §. Gazaros. 5. & §. Credentes. 8. (in Collat. 10. in fine Corpori Juris adjecta)* & Papa Innocentius III. *in d. c. 13. §. Credentes.**

§. 36. Porrò, successionum & hæreditatum nulli sunt capaces; omnium bona publicantur; Lex Majestatis, in eos exercetur, & filii quoque, etsi orthodoxi, hereditate patris excluduntur: *c. 10. X. de Heret. quod deinde ad nepotes quoque ex linea paterna extensum est: in c. 15. in 6. & uxorum quoq;, quæ scientes hæretico nupserunt, dotes confiscantur. c. 14. eod. in 6.*

§. 37. Quin & post mortem damnari, excommunicari, bonaq; eorum publicari possunt: *c. fin. caus. 24. q. 2. eaque omnia etiam ad fautores & receptatores eorum extenduntur, tum in d. c. 13. §. Credentes. tum in d. Constit. Frid. II. §. Credentes. atq; adeò prorsus lex illa*

illa Majestatis & perduellionis, omnium toto orbe atrocissima & in atrocissimum crimen lata, in errorem quoq; etiam cum culpâ caret (non enim distinguunt) exercetur. *d. c. 10. X. de Heret.*

§. 38. Nos equidem, an pœnæ hæ in Hæreticos à Catholicæ ecclesiæ formula, quæ de ipsa Christianæ fidei substantia & indubio fundamento concepta est, recedentes statui possint, nunc in medio relinquimus, & ad prætractata rejicimus: cæterum, quod spectat eos, qui extra prædictam formulam ab ecclesiæ Romanæ traditionibus dissentiunt, satis quidem jam probatum est, eos nulla specie hæreticos dici posse; quædam tamen sunt, de quibus adhuc ad majorem rei illustrationem tractari, operæ precium videtur. Inprimis itaque quæritur, cujus sit de hæresi cognoscere ac statuere? Nec dubitare nos finit communis gentium ratio, omniumque jurium, divinorum & humanorum, consensus, ejus id esse qui summum imperium in rep. habet: Ita hoc jus fuit Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii *in l. 1. §. 1. C. de Summa Trin.* ibi: *divinâ primum vindictâ, post etiam motûs animi NOSTRI, quem ex cælesti arbitrio NB sumserimus, ultione plectendos.* Ergo hi Christianissimi Impp. volunt ex sui animi motu, quem ipsi sumserint, hæreticos esse plectendos. Quod iidem Theod. & Valent. etiam ad ipsum Papam Hormisdam rescribunt, *in l. 3. §. 1. & 2. C. eod.* ubi cum leges Papæ dixissent quibus agi in Hæreticos vellent, & jusserint, ut Clerici ejiciantur, laici anathematizentur, *secundum ea, addunt, quæ jam à NOSTRA divinitate sunt constituta, & mox: secundum NOSTRAM legislationem.* Tum denique aliis pluribus lancitis ita finiunt: *Hac igitur Tua Magnificentia, sequens NOSTRÆ religionis scopum observare*

servare & effectui dare studebit. Ita iudem l. 2. C. de Hæret. Omnes, inquit, vetita legibus divinis & NB. Imperialibus constitutionibus hæreses perpetuò quiescant. Deniq; in tot. tit. C. de Hæret. & alibi, plurimæ sunt Impp. constitutiones de Hæreticis & eorum pœnis &c. ex quibus certissimè constat, doctrinâ aliquâ iudicio totius ecclesiæ semel hæreseos damnatâ, omnem potestatem puniendi statuendique penes Imperatores fuisse, non penes Pontificem.

§. 39. Multò minùs itaque, cum inter membra particularis ecclesiæ quæstio seu controversia de quibusdam articulis oritur, uti inter Romanos & Evangelicos: neq; enim tum ipsa pars, cum qua controversia est, potest iudex in ea causa esse, nec sibi potestatem arrogare atrocissimas pœnas in alteram partem statuendi, & hæreseos eam damnandi: imprimis, cum neutra pars autoritate invicem cedat, & non tumultuarii homines, sed tot regna, Principatus ac respubl. quæ adeò literarum studiis, scientiis ac omnigenæ eruditionis laudibus præclarissimè florent, in eandem partem conspirent atque consentiant.

§. 40. Quodsi verò inauditò exemplò pars in partem sibi id arroget, pœnarum diras excogitet, damnet, excruciet, &c. quid aliud illa spirant quàm vindictam non pœnam? Quid manifestius, quàm hos animos esse infestissimi vindicis, non æqui iudicis; qui non alios emendare fatagit, sed se ulcisci. Quod in causa hæreseos satis apparet. Nulla gens unquam tam fera, immanis ac barbara fuit, nulla e contrario tam superstitiosa & religionum suarum tenax, ut aliud à se opinantes (jam diximus, non hic agi de dissensu à formula totius Ecclesiæ de verissimo ejus fundamento concepta)

pta.) exquisitissimis & atrocissimis suppliciis pænisq; dignos existimaverit.

§. 41. Christianis verò id omnium minimè conveniebat, qui sanè hac ratione crudelissimos Tyrannos & Christianorum persecutores absolvunt, & piissimos Martyres damnant: habuère enim gentes formulam religiosæ πολυθεότης suæ, totius terrarum orbis consensu comprobata, & tot seculorum, tot ætatum usu firmatam; cujus jugulum petebant pauci Christiani, merè subditi ac privati, in quos proinde pœnas gravissimas Principes statuebant; atq; ideò meritisimò suò pessimè audiunt, & nunc indubiè pœnas luunt. An verò plus causæ, quàm tum gentibus fuit, hodie uni Ecclesiæ est, in eos, qui, salvâ totius Ecclesiæ formulâ fundamentali, in quibusdam ab ea discrepant, sæviendi eosq; persequendi?

§. 42. Hic silentio transigere, suggerente, ex consilio Illustris Facultatis Juridicæ Viadrinæ, Dn. Præfide, non possumus de quodam infami è Moravia convitiatore, nugatore, & Apostata, qui desertâ doctrinâ Evangelicâ ad Romanam transierat, & hanc totam, quasi desperato, eam ex sacris defendi posse, ex Justiniani Novellis, quasi novo ausu, tueri aggressus, & vanissimis nugis & ineptiis suis ita confusus, quin eò potiùs dementiæ & insanix prolapsus est, ut, cum omnes Jctos Evangelicos pessimis convitiis proscinderet, exemplum famosi sui libelli ad hanc & aliam celeberrimam Facultatem Juridicam miserit, additis etiam impudentissimè literis, ut duæ Clarissimæ Facultates Juridicæ ad hunc febriculosi judicii foetum responderent, atque adeò in disceptationem cum fanatico hoc homine & impuro convitiatore descenderent;

casus

casus retundendæ vanitati vel solum hoc suffecisset, si ipsi in mentem venisset, quantoperè hodierna Ecclesiæ Romanæ facies differat ab illa, quæ fuit sub Justiniano, qui Vigilium Pontificem in exilium ire jusfit, nec antè sedi suæ restituit, quam Concilio quinto subscripsisset. Vid. *supr.* §. 6. Quicquid verò corrasit a deo repit, claudicat, adeò inane est, nihilque concludit, ut hominis miserti satis hac sua dementia ipsum punitum crediderint.

§. 44. DEUS T. O. M. si quicquam, id certè inprimis omnibus votis rogandus est, ut Christianum orbem atque Imperium, nostramque inprimis Germaniam hac peste ac disfidiorum Erynni liberet, & hac discordiarum regulâ abolitâ, in sacrosanctam Ecclesiæ Catholicæ formulam, atq; adeò in justitiæ æqualiter administrandæ fiduciam, sincerum pacis studium, haud fucatam reip. curam, inprimis verò intactaminatum veri DEI & virtutum pietatisq; cultum, extinctis commodi proprii odiorumque rationibus, in ferventissima deniq; ad DEUM vota, omnium coalescant & concilientur animi. Hæc ita de Jure. Cæterum hac Disertatione nihil penitus Orthodoxorum Theologorum sententiis derogatum volumus, idque hîc publicè testamur.



D

Hæc-



HActenus à vulgi discedis moribus, hæcque
 Hæresis in studiis d' Orviliana fuit.
 Rectè ergò Hæreseos pertractas jura; nec errat
 D' Orvilius magnum qui putat Hæreticum.

*Nobilissimo atq; Florentissimo Viro Juveni Dn. Carolo
 D' Orville, suo quondam Auditori omni ex parte
 æstimatissimo, nunc Fautori atq; Amico honora-
 tissimo, de JURE CIRCA HÆRETICOS inaugu-
 guraliter disputaturo, L. M. Q. gratulatur*

A. A. PAGENSTECHER, Jctus, in Illustri
 Gröningiæ & Omlandia Academia Antecessor
 & Juris Publici ac Privati Profesor Ordinarius.

Was Tugend/ Wiß und Fleiß vor Wunder-Wirckung bringen/
 Was Klugheit und Verstand vor reichen Bucher trägt:
 Wie ein erleuchter Geist pflegt endlich durchzudringen/
 Diß ist was diese Schrift uns vor die Augen legt:
 Es ist die erste Frucht gezeugt in frembder Erden/
 Was wird nicht mit der Zeit aus diesem Knaben werden.

Hiermit wolte mit eilender Feder dem Herrn DOCTORANDO
 sich gehorsamst empfehlen
 Dessen ergebenster Diener
 S. COCCEJUS.

*Aen de Heer CAROLUS d' ORVILLE,
 Doen hy te Franckfort an de Oder met Lof
 PRO LICENTIA disputeerde.*

Die Heer die ik hier hoor op de Catheder spreecken,
 En all syn tegenparths met roem de Loef af stee-
 cken, Is dat



407.
Is dat defelve niet? daermee ick eertyts plag,
Als ick hem in de School van't *Grönings Kluyndt*
fag.

So nauwe maetschapy en broederschap te maecken,
Tot dat geen dropjen meer kost naer beneden raecken.
Daermee ik ben te glyck in wetten opgevoedt,
En hem oprecht bevondt van duytsch en Hesen
bloedt.

Well ja! hy is het selv, ick sie het aen syn Wesen,
Ick kant uyt syn gesicht en't dicke hoofden lesen,
Want all het vett dat ghy hier op syn Wangen fiet,
Dat deed gesopen *kluyt* * met meenig lustig liedt.

Dit syn de vruchten, *vriendt* van Gröningen gegeven,
Maer Franckfort, naer ick sie, dat geeft uw meerder
leven,

Want voor een dicke buyck, so geeft het uw een
hoofdt

Van wetten volgepropt en glyck als opgestooft,
En will uw noch daer toe Licentiatum maecken,
Tot *welcke eer*, ick wensch, *ghy met geluck moet raeken*.

Siet waerde vriendt, hoe't all sich op malckander
past?

En wat uw voordeel brengt die moyen dicken bast?
Als uyt uw wetenschaep en praesentabel wesen
De dommste Philosoph kan eenen *Doetor* lesen.

Van een vriendt,
Die uw bemindt.

* *So word het delicate Grönin-
ger bier genoemd.*

DANIEL MEINERTZHAGEN.
Coloniensis. J. U. C.

D 2

So

104
Sist/ Herr d' ORVILL, Dir Dein löblich Thun ge-
lungen/
Der Ruhm ist je kund Dein/ wonach Du hast gerungen/
Dein flammendes Gemüth/ Dein Enffers- voller Geist/
Dich von der Erden weg zum Ehren-Gipffel reist;
Durch stetem Schweiß und Fleiß/ als beyde Deine Flügel/
Hastu erhoben Dich zum hohen Lobes-Hügel;
Es hat Dein kluges Haupt durch Gottesfurcht und Wiß/
Dir jezt den Weg bereit/ den gar zu hohen Siß;
Die Lichter dieser Welt/ das Chor der Professorenen/
Dich würdig schon erkläret der Krone der Doctorenen/
So Dir jezt ist bereit/ Sie ist gewunden schon/
Gib nur den Scheitel her/ Du grosser Themis-Sohn;
Dieß ist die letzte Prob/ steig auff den Stuhl der Ehren/
So wird Dein weiser Mund sich kräftig lassen hören;
Du fürchtest niemand nicht/ Du stehest wie ein Mann/
Der alles was er sagt mit Grund behaupten kan.
Ich wünsche Glück hierzu und weiter Gottes Seegen/
Auch dessen Gnad und Güth/ Glück/ Heyl auff Deinen Wegen/
Drumb fröhlich und in Fried nun weiters leb hinfort/
Der Himmel sey mit Dir/ g'leit Dich von Orth zu Orth!

Dieses wenige hat seinem Hochgeschätzten Herrn Com-
mensalen und wertheitem Freunde/ zwaren mit
ungeübter Feder/ dennoch aus wohlmeynendem
Gemüthe schuldigster magen glückwünschend
hinzu thun wollen.

H. G. HULS, LL. Stud.

Splendidæ gentis decus atque nomen
Inclytum TE non satiavit unquam:
Sed velut vis ad placidam Minervam
Enthea traxit.

Non

408.
Non sacrum templum Sophiæ Gröninga
Conticet summos studii labores.

An minus nostrum Viadri Lycéum
Astipulatur?

Ecce Coccejus celebris per orbem
Jure nunc confert meritos honores.
Sic capit virtus niveumque digna
Præmia pectus.

Sis quater felix iterumque felix,
Fata nunquam non Tibi sint secunda.
Fulgeas semper velut inter ignes.
Luna minores.

*Ita Fautori ac Conterraneo suo suavissimo
debiti honoris ergò congratulatur*

J. P. SCHOPPACHIUS,
Hersfeldens. Haslus.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

als d'ner teils hermiten
I. Schindler non I. Schindler
I. Schindler non I. Schindler
I. Schindler non I. Schindler

I. P. SCHOPACHILUS
Herrn von Hülshausen



ULB Halle

3


002 061 333



sb

V07







NAUGURALIS, ~~395~~
12
IRCA
ICOS, 1699, 8
 nuente,
 ATE
IM ORDINIS
IA VIADRINA,
COCCEJO
 O,
 CULTATIS JURIDICÆ
 RIO, nec non SERENISS.
 DENB. ab AULÆ
 LIIS,
 TORALIS PALATINI,
 ORE, IN ACADEMIA
 T. & JURIS GENT.
 DIN.
aternum venerando,
 TIA
 NORES ac PRIVILEGIA
 i
 ittit & fistit
ORVILLE,
 SSUS.
 MDC IC.
 RISTOPHORI ZEITLERI

